# FASCICULUS RARIORUM PLANTARUM FOROJULIENSIUM AUCTORE JOANNE...

Giovanni : de Brignoli di Brunnhoff

Bone Deus! quam multi rerum patriarum rudes ad exteros excurrunt, ut curiosa imprimis, quæ illic sese spectanda offerunt, rimentur sollicite ac admirentur; quorum tamen eximia pars longe est posita infra excellentiam eorum, quæ in patrio nostro solo, oculos modo aperientibus, sese ingerunt.

*Linn. Orat. de necessit. peregr. intra patr.*

MAGNO.

SCIENTIARVM . BONARVMQVE . ARTIVM.

FAVTORI.

DOCTISSIMOQVE . VIRO.

*D. SCOPOLI.*

STATVS . CONSVLTORI.

PVBLICÆ . INSTRVCTIONIS . IN . REGNO . ITALICO.

DIRECTORI . GENERALI.

&c. &c.

*D. D. D.*

AVCTOR.

## AD LECTOREM.

Propositum mihi fuit hoc in libello plantas tradere Forojulienses quæ in Specierum Plantarum editionibus cel: *Wildenowii* et *Persooni* locum nondum obtinuerunt, præter unam alteramve speciem, in quarum denominationem, vel Synonymiam, aut definitionem genericam, specificamque errores irrepsisse certiorem me fecerunt autopsia, et litterarium cum doctis commercium. Icones, eheu! ob defectum Scalptoris adjicere non potui, quamvis delineationes ad vivum a me ipso exaratas, pluribus jam ab hinc annis paratas retineam.

Plures ad manus mihi sunt aliæ plantæ ejusdem regionis, præsertim ex Cryptogamicis aquaticis ac terrestribus, quas examini rite subjiciendi otium non fuit, ideoque alia occasione publici juris faciendæ, cum hujus Fasciculi editionem non differendam suaserint amici, qui plantas ab ipsis inventas benevole communicarunt, quorumque ulteriorem benevolentiam maxime expeto.

# PÆDEROTA.

Mich. N. Pl. Gen. sub *Bonarota* p. 15. Lin. Gen. Pl. edit. Schreb. n. 33. Lamark pl. 13. Juss. Venet: 352.

Character Generis emendatus.

CAL. *Perianthium* monophyllum, 5–partitum; vel profunde 5–fidum; foliis (vel laciniis) linearibus, inæqualibus, patentibus, persistentibus.

COR. monopetala, ringens: *Tubus* longiusculus: *Limbus* bilabiatus: *Labium superius* brevius, fornicatum; *inferius* paullo longius, deflexum, fauce glabra.

STAM. *Filamenta* duo (*) filiformia, adscendentia, plerumque corolla breviora, immo sub labio superiori recondita. *Antheræ* conniventes, ovatæ, bivalves.

PIST. *Germen* superum, ovato–oblongum. *Stylus* filiformis, longissimus, persistens. *Stigma* capitatum.

PER. *Capsula* ovato–oblonga, bifida, longitudinaliter sulcata, bilocularis, quadrivalvis, apice dehiscens.

SEM. plurima, subrotunda, dissepimento affixa.

---

(*) Stamina 4. quorum duo castrata s. exantherata. *Cfr. Nat. Jos. de Necker Elem. Bot. Tom. I. p. 329. n. 512.* ego non vidi.

Observatio. Genus *Veronicæ* affine, diversum tamen corolla ringente, et calyce 5-partito. Proximum *Wulfeniæ*, adeo ut ab auctoribus recentioribus pro eodem habeatur. Differt vero calycinis foliolis inæqualibus; corollæ tubo basi non gibbo, fauceque glabra non barbata, in quo character essentialis consistit.

Character essentialis.

*Cal.* 5-partitus. = *Cor.* tubulosa, ringens, limbo bilabiato hiante, fauce glabra. = *Caps.* 2-locularis, 4-valvis, polysperma.

Pertinet ad *Diandriam Monogyniam Linnæi*, ad *Personatas Juss.* ratione fructus, quamvis inter *Veronicas* naturalius locum habere videatur.

SPECIES.

1. PÆDEROTA BUONAROTTA.

P. foliis subrotundo-ovatis, dentato-angulatis. Corollæ labio superiore indiviso acuminato. Racemo oblongo subnutante. N.

P. foliis subrotundo-ovatis, corollarum galea integra. *Sp. Pl. ed. Willd. T. I. p.* 77. *n.* 2. *Pers. Synops. Pl. T. I. p.* 14. *n* 2. *Reiner et Hohenw. Reise* 1. *p.* 65—*Schk. Handb.* 1. *p.* 13. *tab.* 2. *b.* = *Jacq. Austr.* 5. *App. tab.* 39.

P. (Bonarota) foliis serratis oppositis. *Sp. Pl.* 2. *p.* 20.

P. (cærulea) foliis oppositis subrotundo-ovalibus serratis, labio superiore indiviso. *Lamark. Illustr. Gen. p.* 43. *n.* 197. *tab.* 13. *fig.* 1. = *ejusd. Encycl. meth. T. IV. p.* 647. *n.* 2.

P. (cærulea) corollarum labio superiore indiviso. *Linn. fil. Suppl. p.* 84.

P. cærulea. *Host. Synops. Austr. p.* 12. = *Scop. Ann.* 2. *p.* 41.

Wulfenia Buonarota. *Smith. in Act. Soc. Lin. Lond.* 6. *p.* 96.

Wulfenia *Buonarota*, caulescens, foliis subrotundo-ovatis. *Schrad. Flor. Germ. I. p.* 49. *n.* 3.

Veronica Bonarota. *Spec. Pl.* 1. *p.* 11.

Veronica petræa sempervirens. *Pon. Bald. in Clus. Hist.* 2. *p.* CCCXXXVI. *cum* icone. = *Tournef. Inst. R. H.* 144.

Bonarota montana italica, Chamædryos folio, flore cæruleo. *Mich. Nov. Pl. Gen. p.* 19. *n.* 1. *tab.* 15. *fig.* 1.

Chamædrys montis Summani. *J. B. Hist. III. p.* 289. *cum icone.*

Chamædrys alpina saxatilis. *C. B. Pin.* 284.

*Habitat* in apricis rupestribus montis *Strabut*, circa *Tolmezzo*, *Pontebba*, et in summitatibus montium Cadubriensium, nec non in *M. Cavallo*.

Perennis. Floret Junio, Julio.

DESCRIPTIO.

Radix e fibris copiosis, albidis et subramosis constans. Caules plures, cæspitosi, 4–8–unciales, simplices, aut juxta basin ramosi, teretes, pubescentes; Folia subsessilia, aut breviter petiolata, omnia pubescentia, opposita, suprema majora, media minora; infima minima, sessilia. Racemus terminalis, laxus, uni–sesquiuncialis. Bractæ lineares, vix pedicello longiores. Calix quinquepartitus, laciniis linearibus, obtusis, subæqualibus, villosulis. Corolla cærulea, aut violacea, staminibus exsertis. Labium superius constanter indivisum, fornicatum, acuminatum; inferius tri–quandoque quadridentatum, ut videre est apud Michelium l. c. fig. A. B. E. H.

2. PÆDEROTA CHAMÆDRYFOLIA.

P. foliis rotundis dentatis, dente extremo latissimo obtuso. Corollæ labio superiore subdiviso. Racemo ovato denso erectiusculo. N.

P. (Bonarota) foliis serratis, infimis oppositis, rotundis. *Vitm. Sum. Pl. T. I. p.* 36. *excluso Synonymo Jacq. et Murr. Syst. Veg.*

Bonarota montana italica chamædryos folio rotundiore, et quasi circinato, spica cærulea habitiore. *Mich. N. Pl. Gen. pag.* 19. *n.* 2. *tab.* 15. *fig.* 2.

*Habitat* in rupibus humidis prope *Verzegnis* ( Suffren ). Ego non vidi vivam.

Perennis. Floret eodem tempore ac praecedens.

## Descriptio.

Similis praecedenti, tamen vera distincta species. Radix ut in priore. Caulis 2–3–uncialis, cespitosus, simplex, teres, tomentosus. Folia subsessilia, inferiora opposita, superiora alterna, pubescentia, margine ciliata. Racemus terminalis, densus, uncialis, raro longior. Bracteæ pedicellum æquantes. Calyx profunde quinquefidus, laciniis linearibus, duobus brevioribus, tomentosis. Corolla violacea, staminibus vix ac ne vix exsertis. Labium superius indivisum, interdum leviter emarginatum: inferius obsolete trifidum.

Observatio. Figura Michelii l. c. imperfectum præbet exemplar folia omnia opposita gerens. Cavendum ne cum *P. chamædryfolia* Scopolii confundetur, quæ sequens est species.

## 3. PÆDEROTA URTICÆFOLIA.

P. foliis elongato–acuminatis, argute serratis. Corollæ labio superiore bifido. Racemo longiusculo erecto. N.

P. ( Ageria ) foliis ovato–acuminatis, corollarum galea bifida. *Sp. Pl. ed. Willd.* 1. *p.* 77. *n.* 1. = *Pers. Synops. Fl. T.* 1. *p.* 13. *n.* 1.

P. *chamædryfolia*. *Scop Fl. Carn. ed.* 2. *n.* 26. *Tom. I.*

P. ( lutea ) corollarum labio superiore bifido. *Linn. fil. Suppl. p.* 84. *Scop. ann.* 2. *pag* 41. = *Host. Synops. Austr. p.* 12.

P. ( lutea ) foliis oppositis ovalibus serratis, labio superiore bifido. *Lam. Illustr. Gen. p.* 48. *n.* 198. = *Encycl. Meth. T. IV. p* 647. n. 3.

P. Bonarota. *Jacq. Hort. Vind.* 2. *p* 55. *tab.* 121. *fide cl. Schraderi*.

Wulfenia Ageria. *Smith. in Act. Soc. Lin. Lond.* 6. *p.* 96.

Wulfenia *Ageria*, caulescens, foliis ovato–lanceolatis. *Schrad. Germ. I. p.* 48.

*Habitat* ad latera *Sontii* Fluminis, circa *Goritiam*, *Canale*, et *Caporetto* in rupium fissuris.

Perennis. Floret Aprili ad Julium.

## Descriptio.

Radix fibrosa, albida, subramosa, fibris copiosis. Caules plures, 4-8-unciales, graciles, teretes, plerumque simplices, brevi pube instrati. Folia subsessilia; argute serrata: inferiora subrotunda minima, media ovato-lanceolata sensim majora, superiora elongato-acuminata, 3-uncialia, summa minora lineari-lanceolata, omnia opposita, decussata. Racemus terminalis de more gentis, laxus, 1-2-uncialis, et longior, erectus, interdum cernuus, Bracteæ lineari-subulatæ, pedicello duplo longiores. Calyx 5-partitus, foliolis lineari-setaceis, subæqualibus, corollam æquantibus, patentibus. Corolla sulphurea, fauce subtomentosa. Labium superius bifidum, subinde tantum emarginatum, fornicatum, stamina includens, antheris fuscis; inferius trilobum. Capsula ovato-oblonga, acuminata.

Observatio. Ob tomentum læve quo faux corollæ vestitur, poterit inter *Wulfenias* hæc species recipi, sed quia faux nullo modo barbata dici potest, jure ab illis sejugendam, interque *Pæderotas* retinendam putavi.

### 4. PÆDEROTA ZANNICHELLII.

P. foliis ovatis, acutis, dentatis. Corollæ labio superiore integerrimo. Racemo denso, ovato, erecto. N.

Bonarota montana italica chamædryos folio minus crenato, spica lutea. *Mich. Nov. Pl. Gen. pag.* 19. *n.* 3.

*Habitat* in summo jugo Montis *Cren*, in umbrosis spongiosis, nive deliquescente irriguis, occasum versus, et in *Monte Cavallo.*

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, atra, fibris copiosissimis tenuibus. Caules pauci, digitales, simplices, erecti, teretiusculi, pubescentes, ut et reliquæ plantæ partes. Folia opposita, internodiis brevissimis; inferiora minima, sessilia, qnasi connata, subrotunda: media breviter petiolata, ovato-acuta: suprema sensim minora; omnia dentata, pubescentia, margine per lentem ciliata. Racemus terminalis, densus, semiuncialis, ad summum uncialis. Bracteæ lineares, vix pedicello longiores. *Calyx* profunde 5-fidus, laciniis linearibus, obtusis, corolla dimidio brevior. Corolla lutea, fauce glaberrima. Labium superius integerrimum, fornicatum, stamina includens, antheris albidis: inferius tridentatum, interdum bifidum, laciniis obovatis. Capsula ovata obtusa.

OBSERVATIO. Teste *Michelio* l. c. primus hanc invenit speciem cel. D. HIERONYMUS ZANNICHELLIUS Pharmacopola Venetus in Monte *Cavallo*; ergo ab ejus primo inventore incola Forijulii nuncupata. Tanti viri benemerentiam in scientia botanica æternandi causa, illius nomine plantam condecoravi. Mirandum est tamen omnes auctores *Pæderotæ* meæ *urticæfoliæ* synonymon Michelianum adduxisse, nam indicatio folii *minus crenati* nullo modo plantæ *foliis argute serratis* applicari potest; ideo cum hæcce species ratione foliorum, calycis, corollæ, capsulæque ac habitus valde ab antecedente differre observarem, novam statuere speciem non hæsitavi.

# AIRA.

Gen. Pl. ed. Schreb. n. 112. - Juss. Gen. p. 3. Venet. Tabl. 2. p. 104. Gærtn. fruct. p. 4. tab. 1. Lamark Illustr. Gen. pl. 44.

* *muticæ.*

5. AIRA ELODES.

A. foliis planis: panicula patente: corollis glabris, calycem subæquantibus: culmo adscendente. N.

*Habitat* in aquosis irriguis collium *di Brazzà*, loco dicto *le Parti*, alibique.

Perennis. Floret Julio, Augusto.

## Descriptio.

Radix fibrosa. Culmus cespitosus, simplex, debilis, adscendens, sesqui–bipedalis, et ultra, 7–8–nodis, striatus, glaber. Folia lineari–lanceolata, plana, glabra, retroversu aspera, internodiis duplo fere longiora. Vaginæ laxæ, striatæ, glabræ: ligula brevissima, integra, membranacea, albida. Panicula erecta, palmaris, et ultra, multiflora, ante anthesin contracta, dein diffusa, fructificans demum contracta, et cernua. Rachis subflexuosa, scabra; inferne teretiuscula, reliqua parte angulata. Rami verticillati, 6 in verticillo, inæquales, longiores, ramosi, omnes angulati, scabriusculi. Spiculæ alternæ, aliæ pedicellatæ, aliæ vero sessiles, scabriusculæ, obtusæ, ex albo et viridi variæ, bifloræ. Calyx bivalvis, valvulis carinatis, æqualibus, altera subulata uninervi, altera apice crenata, obtusa, trinervi. Corollæ binæ, muticæ, altera pedunculata vix calycem excedens, altera paullo brevior, nudo oculo glabræ, per lentem vero scabriusculæ. Gluma exterior subcompressa, apice crenata, trinervis, interior paullo minor, apice emarginata, margine utrinque inflexa, ad flexuræ angulos ciliata. Axis glaber.

Observatio. Similis valde *Airæ aquaticæ Linn.* pro qua primo intuitu habui. Differt vero radice non repente, culmo minime radicante, foliis angustioribus, corollis calycem vix superantibus, ac totius plantæ scabritie. Cel. *Wulfenius*, cui specimina exsiccata comunicaveram, certiorem me fecit per litteras humanissimas, speciem hanc esse novam, cujus apud auctores nullum existit synonymum. Multa habet communia, excepta arista, cum *Aira paludosa Roth. Fl. Germ.*, sed habitu etiam, et colore glaucescente diversa. Siccata, etiam sub anthesi panicula contrahitur. Elodem dixi a græco vocabulo *elodes*, nempe *palustris*, ad evitandam confusionem cum illa *Rothii paludosa*.

# SESLERIA.

Scop. Fl. Carn. 1. p. 63. - Juss. Gen. p. 31.

Character essentialis emendatus.

*Cal.* bivalvis ; bi–triflorus ; subaristatus. *Cor.* bivalvis, obtusa, valvulis tricuspidatis. *Sem.* liberum corolla tectum.

SPECIES.

6. SESLERIA CÆRULEA.

S. racemo spicato, ovato–oblongo; foliis planis; gluma corollina exteriore pubescente tridentata. N.

S. *carulea*, racemo spicato oblongo bracteato, spiculis bi–trifloris, gluma exteriori corollina 3–rarius 5–aristata, aristis gluma brevioribus. *Schrad. Fl. Germ. I. p.* 273.

S. *cærulea* culmo simplici, spica subcylindracea. *Arduin. Spec.* 2. *p.* 28. *tab.* 6. *fig.* 3. 4. 5.

S. cærulea. *Scop. Fl. Carn. ed.* 2. *n.* 90. = *Smith. Britan.* 1. *p.* 94. = *Host. Gram.* 2. *p.* 69. *tab.* 98.

S. cærulea (calcaria) spica ovato–oblonga, foliis planis, involucro integro. *Pers. Synops. Pl.* 1. *p.* 72. *n.* 1.

S. locustis unifloris, imbricatis, calyce tricorni. *Hall. Helv. n.* 1446.

Cynosurus (cæruleus) bracteis integris subdentatis, corollis mucronatis, spica oblonga. *Sp. Pl. ed. Willd. p.* 414.

C. bracteis integris lacero–crenatis, spica oblongo–ovata. *Jacq. Ic. rar.* 1. *tab.* 21. = *Miscell.* 2. *p.* 66.

C. cæruleus. *Koel. Gram. p.* 374. = *Roth. Germ. T. II. p.* 156. = *Mart. Fl. Rust. tab.* 20.

C. bracteis integris. *Hort. Cliff.* 495. = *Fl. Suec. n.* 82. *p.* 29.

Aira (varia) foliis planis, spica subovata densa. *Jacq. Vindb.* 15.

Gramen phalaroides montanum, spica versicolore. *Mont. Prod.* 48. *Seguier. Ver. app.* 153.

Gramen glumis variis. *Scheuchz. Agrost. p.* 83. *tab.* 2. *fig.* 9. *A. B.* = *C. B. P.* 10. *Prodr. p.* 21. *cum ic.* = *ejusd. Theatr. p.* 158. *cum ic.*

*Habitat* ad rupes subalpinas *Civitatis Austriæ* ( olim Forijulii ) æque ac in sylvis di *Purgessimo*, *Ragogna*, *Tolmezzo &c.*

Perennis. Floret Martio, Aprili.

7. SESLERIA TENUIFOLIA.

S. racemo spicato, ovato-oblongo: foliis setaceis, triquetris: gluma corollina exteriore fimbriata. N.

S. *tenuifolia* racemo spicato lineari nudo, spiculis subtrifloris, gluma corollina exteriori triaristata, foliis setaceis. *Schrad. Germ. I. p.* 272. *tab. VI. fig.* 4.

S. juncifolia. *Suffren. Catal. des Pl. du Frioul. p.* 113.

*Habitat* in rupibus mari imminentibus a *Duino* ad *Tergestum*, nec unquam occurrit in Territorio *Monfalconii* ut apud cl. Schraderum l. c. apparet.

Perennis. Floret Martio, Aprili; non Junio.

## Descriptio.

Radix fibrosa, fibris tortuosis rigidis, compositis simplicibusque. Culmi cespitosi, dodrantales, aut semipedales, erectiusculi, ex tereti compressi, profunde striati, glabri, rigiduli, versus basin geniculis 2 aut 3 intercepti, immediate sub racemo purpurascentes, uno alterove folio vaginati. Folia setacea, triquetra, mucronata, rigidula, ad oras scabra, reliqua parte glabra: culmea brevissima, unciam vix longa: inferiora et fasciculorum multo longiora, culmo tamen breviora; secundi anni vero longissima. Vaginæ compressiusculæ, striatæ, glabræ, ligu-

la brevi, truncata, emarginato-ciliata. Racemus spicatus pauciflorus, semuncialis, rarissime longior, rachi subflexuosa, compressa, glabra. Spiculæ ebracteatæ, superiores sessiles, inferiores subpedicellatæ, ovatæ, compressæ, nitidæ, e cærulescente albido et virescente variæ, bifloræ; inferiores ternæ aut geminæ, superiores solitariæ. Valvulæ calycinæ ovato-lanceolatæ, acuminatæ, compressæ, carinatæ, inæquales, ad carinam superne scabriusculæ, uninerves; altera seu superiore longiore, sæpe in apicem aristæformem attenuata. Gluma corollina exterior oblongo-lanceolata, apicem versus scabriuscula, margine fimbriata, 5-nervis, tribus intermediis in aristam desinentibus. Gluma interior exteriore vix minor, sed angustior, apice bifida, laciniis cuspidatis, marginibus inflexa, ad flexuræ angulos ciliata.

Observatio. Hæc est, paucis mutatis, descriptio quam Cl. *Schraderus* l. c. dedit. Cum illi forte recentia spontaneaque specimina videre et conferre non contigit, de culta planta locutum esse censeo; nam magnitudine, glabritieque partium magnopere diversam Cl. vir descripsit.

Graminis hujus inventio suavissimi amici mei *Ab. Josephi Berini* perquisitionibus debetur, qui primus una cum *Ab. Brumatti* anno 1802 detexit, Cl. *Suffrenio* statim communicavit, atque inde desideratissimo *Wulfenio* cum seminibus maturis misit, unde forte cl. *Schraderus* deceptus evasit credens Wulfenium inventorem esse, qui revera non fuit, sicuti patet ex Catalogo Suffreniano anno 1802 Venetiis impresso, ubi legitur: *Sesleria juncifolia: éspèce nouvelle à feuilles linéaires trouvée par l'Abbé Brumatti*. (*)

8. SESLERIA SPHÆROCEPHALA.

S. racemo spicato subrotundo; foliis linearibus angustissimis; gluma corollina exteriore lacera. N.

S. *sphærocephala* caule simplici nudo, spica subrotunda involucrata. *Arduin. Spec.* 2. *pag.* 20. *tab.* 7.

---

(*) Catalogue des Plantes du Frioul et de la Carnia p. 113. 114.

S. *sphærocephala*, spica globosa (albida), involucris ovatis subdentatis, cor. acuminatis. *Pers. Synops. Pl.* 1. *p.* 72. *n.* 2.

S. *sphærocephala*. *Host. Gram.* 2. *p.* 70. *tab.* 99.

S. *sphærocephala* racemo spicato subrotundo bracteato, spiculis subtrifloris, gluma corollina exteriori uniaristata. *Schrad. Fl. Germ. I. p.* 275. *n.* 5.

*Cynosurus sphærocephalus* bracteis integris subdentatis; corollis aristatis, spica globosa. *Sp. Pl. ed. Willd. I. p.* 414. *n.* 9. = *Wulf. in Jacq. Misc.* 2. *p* 71.

C. *sphærocephalus*, bracteis integris lacero-dentatis, spicis globosis. *Jacq. ic. rar. I. tab.* 20.

C. *sphærocephalus*, bracteis ovatis subdentatis, corollis acuminatis, spicis (albidis) sphæricis. *Hoffm. Fl. Germ. ed.* 2. *T. I. p.* 49. = *Hank* = *Hopp pl. rar. cent.* 1.

*Habitat* in summitate Montis *Cren* orientem versus, nec ullibi mihi alias occurrit.

Perennis. Floret Julio, Augusto.

9. SESLERIA ELONGATA.

S. racemo spicato elongato; foliis planis carinatis; gluma corollina exteriore integra, acuminata. N.

S. *elongata*. *Host. Gram.* 2. *p.* 69. *tab.* 97.

S. *elongata* racemo spicato elongato bracteato, spiculis subtrifloris, gluma corollina exteriori 3-5-aristata, radice stolonifera. *Schrader. Fl. Germ. I. p.* 271. *n.* 1.

*Cynosurus* (*cylindricus*) bracteis integerrimis, corollis aristatis, spica cylindrica unciali. *Balb. Addit. ad Flor. Ped. p.* 86. *ex ejus litteris*.

*Habitat* in aridissimis collinis ab *Sontij* cursu ad *Tergestum*.

Perennis. Floret, Augusto Septembri.

# DACTYLIS.

Gen. Pl. ed. Schreb. n. 117. - Juss. Gen. p. 31.
Vent. Tabl. 2. p. 104. - Lamark
Illustr. Gen. tab. 45. p. 993.

10. DACTYLIS DISTICHOPHYLLA.

D. culmo radicante, terete, ramoso: spica interrupta: foliis divaricatis, planis, versus apicem involutis, ramorum sterilium distichis. N.

D. *maritima* spica interrupta, foliis rigidis involutis. *Schrad. Fl. Germ. I. p.* 313. *n.* 2. *tab. VI. fig.* 1.

D. *littoralis* panicula spicata, culmo repente, foliis ramorum sterilium distichis, vaginis pilosis. *Sp. Pl. ed Willd. I p.* 408. = *Pers. Syn. Pl.* 1. *p.* 88. *n.* 3.

Poa (*littoralis*) panicula coarctata, secunda, mutica; foliis convolutis rigidis, caule humifuso. *Gouan. Fl. Monsp.* 470.

Poa *littoralis* panicula dense spicata; spiculis sexfloris; foliis convolutis brevibus; culmo repente. *Lamark. Illustr. Gen. n.* 998. *tab.* 44. *mala* = *Poiret in Enc. Meth. T. V. P. I. p* 83. *n.* 49.

Poa (*littoralis*) panicula spicata, secunda; foliis convolutis, rigidis, culmo procumbente. *Vahl. Symb* 2. *p.* 19.

Poa panicula spicata, secunda, mutica; foliis convolutis brevibus pungentibus. *Gerard. Fl. Gallo-Prov.* 91.

Gramen caninum, maritimum, spicatum. *C. B. P.* 2. = *Tournef. I. R. H.* 518. = *Magnol. Bot. Monsp.* 112. = *ejusd. Hort.* 90. = *Plukn. Alm. t.* 33. *f.* 3.

*Habitat* copiose in pratis *all' Isola Morosini*, quamvis sat longe a mare sitis, imo aqua dulci duorum fluminum, nempe *Sontij* (vulgo la *Sdoba*) et *l' Isonzato* undique circumvallatis, ex qua maxima constat ibi fœni pars; inque maritimis Insulæ *Caorle* (olim Caprulæ), et rarius in littore Tergestino.

Perennis. Floret Junio ad Augustum.

## Descriptio Schraderi.

„ Radix parva, lignescens, fibris capillata, plures culmos
„ diversæ altitudinis exserens. Culmi teretes, striati, ut reliquæ
„ plantæ partes rigidi, et magis vel minus glaucescentes; ad
„ spicæ exortum scabri et nudi, cæterum foliis, vaginisque tecti
„ et glabri; alii erectiusculi, aliqui adscendentes et e geniculis
„ terræ vicinis sæpe radices atque ramos agentes. Folia plura
„ approximata, brevia, linearia, acuta, primo plana, demum
„ involuta, ad oras et superiorem costæ partem præcipue sca-
„ bra, basin versus externe plerumqne pilis brevibus, albis in-
„ spersa. Vaginæ teretes, striatæ, nudæ, aut superne ad fissu-
„ ram ciliatæ: superiores foliis paulo longiores; inferiores con-
„ fertiores, breviores. Ligulæ loco series pilorum. Spica semun-
„ cialis et ultra, erecta, interrupta, rachi subflexuosa, semite-
„ reti, striata, scabra. Spiculæ alternæ, compressæ, glabræ,
„ 7–11–floræ, virides vel e dilutissime cærulescente et viridi
„ variæ; sub anthesi patentes, rachi appressæ ante et post an-
„ thesin. Glumæ calycinæ, flosculis minores, ex ovato-lanceolatæ,
„ acutæ, compressæ, altero latere, ut in *D. glomerata*, latiori,
„ altero angustiori, majori tribus nervis, minori unico tantum
„ nervo distincta. Gluma corollina exterior ovato-lanceolata,
„ breviter mucronata, compressa, ad carinam vix scabra, mar-
„ gine membranacea, 7–9 nervis notata; interim exteriori vix
„ minor, sed angustior, apice indivisa, utrinque inflexa, ad
„ flexuræ angulos glabra.„

---

In meis speciminibus culmi 6–10 pollicares. Rami fere omnes primi anni steriles, secundo fructificant. Folia inferiora divaricata ad angulum 70.°, et ultra; superiora ad angulum 50.°

circiter, basi plana, a dimidio ad apicem involuta. Pili longiusculi horizontales. Spica terminalis irregularis. Spiculæ distichæ alternæ, constanter 6-floræ. Gluma corollina exterior 7-nervis.

OBSERVATIO. Cl. Ab. *Berini* etiam in littore Tergestino observavit, eodem forte loco ubi cel. de *Wulfen* ante jam 40 annos invenerat, uti per litteras benevolas me monuit. Argumentum ideo desumi potest *Schraderum*, (virum cæterum clarissimum ac valde doctum), non bene induci esse passum, errorem *Wildenowii* putando, dum asserit Gramen hoc etiam crescere Tergesti, eo magis, quod illustris vir a *Wulfenio* ipso specimina quæ observavit forte acceperat. Tergestina specimina ab amico *Berinio* lecta Caprulanis ut ovum ovo certe sunt simillima. Synonymon *Wildenowii* ergo pleno jure huc pertinet, sicut ex ejus fide etiam illa citata *Gouani*, *Gerardi* et *Vahlii*. Descriptio *Poireti* in *Encyclopedia methodica* plantæ huic meæ optime quadrat, nec ulla parte diversam mihi plantam ab illo descriptam esse videtur, adeo ut mirer cur dubitet Cl. *Schraderus* idem hoc esse Gramen *Bauhino*, *Tournefortio*, *Magnolio* non ignotum.

Icones apud auctores citatos omnes malæ; *Lamarkius* l. c. non bene folia repræsentat, nam character foliorum ramorum sterilium distichorum frustra quæritur, quod maximi est momenti; habitu spreto, culmus male pingitur flexuosus, et folia in naturali planta magis divergunt. Icon *Schraderi* flores valde refert obtusos; pili vaginarum, et apices foliorum involuti desiderantur, uti et radix, et rami steriles. Ad evitandam confusionem, sicuti planta non absolute maritima est, neque exclusive littoralis, nomen triviale ei mutare malui, et *distichophyllam* a charactere foliorum vocavi.

# TRITICUM.

Lin. Gen. Pl. ed. Schreb. n. 130. - Tournef. pl. 292-293. - Gærtn. Fruct. 2. p. 9. t. 81. - Juss. Gen. p. 32. - Lam. Illustr. Gen. pl. 49.

## 11. TRITICUM BIFLORUM.

T. glumis calycinis brevissime aristatis, trinervibus, bifloris; flosculis aristatis, radice fibrosa, annua. N.

*Habitat* in rupestribus altissimi jugi Montis *Matajuræ*.

Annuum. – Floret Julio.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, cespitosa. Culmi sesqui-bipedales, erecti, teretes, striati, glaberrimi. Folia linearia, acuta, plana, viridia, glabra, dorso et ad oras scabriuscula. Vaginæ teretes, striatæ, glabræ. Ligula brevissima, truncata, denticulata. Spica bi-triuncialis, disticha; primo erectiuscula, dein apice magis vel minus nntans. Rachis flexuosa, ad oras hispida, alternatim hinc convexiuscula et striata, inde concaviuscula et lævis. Spiculæ sessiles, solitariæ, oblongo-lanceolatæ, aristatæ, binos constanter flosculos ecarinatos continentes. Glumæ membranaceæ, calycinæ subæquales, oblongo-lanceolatæ, brevissime aristatæ, dorso convexæ, trinerves, scabræ: corollina *exterior* lanceolata, superiori parte nervis quinque scabriusculis percursa, apice in aristam rectam brevem attenuata; *interior* exteriorem longitudine æquans, oblongo-linearis, apice bifida, utrinque inflexa, ad flexuræ angulos tenuissime ciliata.

OBSERVATIO. Unicum tamen cespitem sollicitudini *Dñi Josephi Caroli Cernazaij* in itinere illi mecum anno 1807 suscepto, sese obtulit. Novam hanc esse speciem primo intuitu dubitavi, sed posterioribus subjecta observationibus specimina, absque ullo dubio certiorem me de novitate fecerunt. Frustra enim Tritici species aliqua apud auctores hucusque mihi visos quæritur, quæ duos tantum in spiculis flores gerat.

# SCABIOSA.

Lin. ed. Schreb. n. 149. - Tourn. 263. 264. Juss. Gen. Pl. 86. - Lam. illustr. pl. 57. - Vent. Tabl. 2. 559. - Gærtn. p. 86. - *Succisa*. Vaill. Act. Gall. 1722.

* *Corollulis quadrifidis.*

12. SCABIOSA REPENS,

S. corollulis quadrifidis æqualibus, caule ramoso, ramis patenti-

divergentibus; foliis angustis, caulinis lanceolatis, radicalibus obtusis, in petiolum decurrentibus; radice repente. N.

S. australis: *Wulf. in litteris.*

*Habitat* in palustribus agri Montisfalconensis, et Aquilejensis, a suavissimo Amico Ab. *Berini* detecta, mihique benevole communicata.

Perennis. Floret Junio, Julio, etiam Augusto et Septembri.

## Descriptio.

Radix repens, extus nigrescens, intus alba, per intervalla plures radiculas fibrosas, atque foliorum fasciculos emittens. Caulis erectus bi-tripedalis et ultra, foliosus, ramosissimus, cylindricus glaberrimus. Rami oppositi, simplices, axillares, patenti-divergentes, ad angulum circiter 60 graduum. Folia omnia oblonga, in petiolum decurrentia, lanceolata, fasciculorum vero oblongo-ovata, obtusa: caulina inferiora longe petiolata, media subsessilia, superiora sessilia, etiam connata, omnia opposita, glabra, integerrima, unico tantum nervo longitudinali percursa. Flores solitarii, plerumque in ramo terni, terminales, aut ex axillis foliorum, pendunculo simplici vel duobus ramis instructo, binisque ad basin ramulorum foliis prædito, longo, pubescenti insidentes. Peranthodium (calyx communis) imbricatum, foliolis (10.) planis, lanceolatis, acutis, inæqualibus, quinque exterioribus paullo majoribus, flores subæquantibus. Anthodium multiflorum æquale: Corolla monopetala, quadrifida, laciniis obtusiusculis, tubo extus leviter pubescente. Stamina corolla dimidio longiora. Perigynium paleaceum, filiforme, cui semina ovata, glabra, 6-angulata, sulcata calyce proprio 4-dentato coronata, imbricatim adhærent.

Observatio. Proxima videtur *Scabiosæ Succisæ* L.; at differt pluri-

bus notis. Radix in mea planta repens, in *S. Succisa* præmorsa: folia in mea sunt angustiora, ramique copiosi patenti-divergentes: in *S. Succisa* folia minus angusta, rami pauci, plerumque tantum terni, cauli approximati. Perigynium in hac paleaceum, in *Succisa* nudum, qua nota veram esse distinctamque speciem nemo non suadetur.

Provenit hæc planta etiam in viciniis *Ticini Insubrici*, unde mihi a Cl: *Dño Josepho Moretti* in R. Lyceo Utinensi Chemiæ et Historiæ naturalis Professore allata fuit, ubi ob climatis vero indolem, aut soli ratione, multo major ramosiorque evadit, adeo ut radices per plurium pedum spatio repentes per intervalla fasciculos copiosos foliorum oblongo-ovalium, quasi pedalium emittant.

# ŒNANTHE.

Lin. Gen. Pl. ed. Schreb. n. 484. - Tourn. I. R. H. 166.
Juss. Gen. Pl. 22. - Lam. illustr. pl. 203.
Vent. Tabl. 3. p. 18. - Gærtn. Tab. 22.

13. ŒNANTHE GYMNORHIZA.

Oe: foliis caulinis pinnatis, radicalibus bipinnatis, omnium pinnis linearibus angustissimis: radice non tuberculata. N.

*Habitat:* in paludosis ad fossarum margines agri Montisfalconensis, ubi non rara occurrit.

Biennis – Floret Julio – Augusto.

## DESCRIPTIO.

Tota planta glabra. Radix perenuis, subcarnosa, extus fusca, intus albida, parum tortuosa, radiculis paucis, teretibus, rigidiusculis. Caulis 2–3pedalis, et ultra, erectus, plerumque solitarius, quandoquidem per dichotomiam ramosus, teres, sulcatus, medulla alba farctus. Folia alterna, *radicalia* bipinnata, circumscriptione oblonga, foliolis linearibus, angustis, acutiusculis: *caulina inferiora* simpliciter pinnata, pinnis longis lineari-

lanceolatis; *superiora* ternata, omnia petiolata, petiolo semiamplexicauli, dilatato, membranaceo; *summa* simplicissima, lineari-lanceolata, sessilia. Umbella *universalis* radiis 10–12, æqualibus; *partialis* congesta, radiis pluribus, exterioribus paulo longioribus. Involucrum 1–3–phyllum, sæpe nullum, foliolis, si adest, setaceis, inæqualibus, simplicibus, umbellam æquantibus. Involucellum monophyllom, setaceum: Perianthium proprium pentaphyllum, laciniis subulatis inæqualibus; Corolla *universalis* difformis, radiata. Flosculi omnes fertiles, albi: *Propria disci* hermaphrodita, petalis quinque, inflexo-cordatis, subæqualibus: *propria radii* petalis etiam quinque, inæqualibus, duobus duplo majoribus, inflexo-bifidis, extus leviter striatis. Stamina, filamenta quinque, corollæ longitudine. Antheræ subrotundæ. Germen inferum. Styli duo, subulati, persistentes, rigiduli, paulatim valde elongati. Stigmata obtusa. Fructus subrotundatus, striatus, bipartibilis. Semina elliptica, hinc convexa striata, inde plana, glabra, apice dentata, quorum alterum tribus foliolis calycis coronatur, alterum duobus.

Observatio. Differt ab *Oe: globulosa, peucedanifolia* et *pimpinelloide*, quibus alias valde similis videtur, defectu tuberculorum in radice, et foliorum radicalium pinnulis angustissimis linearibus non cuneatis.

# ASPARAGUS.

Lin. Gen. Pl. ed. Schreb. n. 573. - Tournef. I. R. H. 154. - Juss. Gen. p. 16. Lam. Illustr. pl. 249. - Gærtn. p. 16. - Vent. Tabl. p. 143.

## 14. ASPARAGUS SCABER.

A. caule herbaceo, tereti, striato, scabro, foliis plerumque octonis, intermedio longioribus, crassis, teretibus, scabris, pedunculis folio brevioribus; floribus hermaphroditis. N.

A. officinalis. a. *maritimus*. *Willd. Sp. Pl. T. II. P. I. p.* 150. *n.* 1. – *Encycl. metb. T. I. P. I. p.* 291. *n.* 1. *b.*

A. officinalis. b. Asparagus maritimus, humilior, divaricatus, griseus. *Pers. Synops. Pl. I. p.* 370. *n.* 1.

A. maritimus, crassiore folio. *C. B. P.* 490. = *Gmel. Sib. I. p.* 38. = *Tourn. Inst. R. herb. p.* 300. = *Bot. Monsp.* 30.

A. marinus. *Clus. Hist.* 2. *p.* 179.

*Habitat* – in littore arenoso maritimo Montisfalconis, et Aquilejæ. Perennis – Floret Majo.

## Descriptio.

Radix bulbosa fasciculata, bulbis cylindricis, carnosis, capitatis, paucis ornatis fibrillis, tenuissimis, capillaribus. Caulis 3–pedalis, ramosissimus, teres, striatus, scabriusculus; ramis alternis, ad insertionem incrassatis, divergentibus, simplicibus. Folia linearia, setacea, crassa, teretia, marginibus scabra, quina s. octona, verticillata, vel potius fasciculata, inæqualia, sessilia. Stipulæ parvæ, ovato–oblongæ, scariosæ, basin ramorum exornant; foliorum vero fasciculi a bractea ovato–obtusa, alba, scariosa, suffulti sunt. Flores hermaphroditi, solitarii, axillares, penduli, pedunculati, pedunculo foliis breviore, parum sub flore articulato. Corolla ex albo–flavido–virens, monopetala, profunde 6–partita, oblonga, tubulosa, persistens: laciniæ tres exteriores planæ, apice obtuso, nervo longitudinali evanescente, viridi, prominulo: interiores alternæ, acutiusculæ, apice parum incurvatæ. Stamina, filamenta sex, filiformia, corollæ laciniis inserta, atque dimidio fere breviora. Antheræ subrotundæ. Pistillum, Germen turbinatum, trigonum. Stylus brevissimus; Stigma punctum prominens. Pericarpium, Bacca globosa, puncto umbilicata, trilocularis, maturatione coccinea, glabra. Semina bina, subrotunda, introrsum angulata, glabra, nigra.

Observatio. Planta hæc ab omnibus fere auctoribus pro varietate

*A: officinalis* hucusque habita, uti ex synonymis adductis videre est, veram esse speciem ex diagnoseos characteribus patet.

Differt enim 1.° caule, foliisque scabris. 2.° numero foliorum in fasciculis, eorumque proportione et crassitie. 3.° pedunculo foliis breviore. 4.° floribus hermaphroditis, *nec dioicis.*

# SAXIFRAGA.

Linn. Gen. Pl. ed. Schreb. n. 764. - Tourn. pl. 129. Juss. Gen. Pl.- Vent. Tabl. 2. - Gærtn. fruct. 1. p. 36.

15. SAXIFRAGA ARENARIOIDES.

S. stolonibus subrepentibus, prostratis, imbricato-foliosis, e latere cauliferis; caule erecto, subnudo, per dichotomias ramoso; foliis linearibus, acuminatis, basi ciliatis; germine infero. N.

an S. (*tenella*) foliis lanceolatis mucronatis basi ciliatis imbricatis, caule nudiusculo paucifloro, calycibus mucronatis. *Willd. Sp. Pl. T. II. P. I. p.* 643. *n.* 10 = *Pers. Synops. Pl.* 1. *p.* 488. *n.* 14.?

an S. (*tenella*) stolonibus prostratis imbricato-foliosis, e latere cauliferis, caulibus erectis subnudis paucifloris, foliis lineari-subulatis ciliatis spinula terminatis. *Wulfen in Jacq. Collect.* 3. *p.* 144. *tab.* 17. (ex Willd.)?

*Habitat*, in rupium fissuris montis *Matajura*, ad latera fluminis *Natisonis* non longe a pago *Stupizza*, ubi anno 1803 sine flore primum observavi, inde anno 1804 in quodam ejusdem montis jugo copiosam cum flore collegi, demum anno 1808 in eodem ad Natisonem loco, non infrequens floribus capsulisque exornata mihi sese obtulit.

Perennis. Floret Julio, Augusto.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, fibris brevissimis, tenuissimis, ramosis. Surculi e radice simplices, subrepentes, foliis imbricati, ex axillis foliorum hinc inde ramosi, latere caules gerentes. Caulis erectus, angulatus, subnudus, per dichotomias repetitas divergentes ramosus, subnudus. Folia linearia, acuminata, læte viridia, sessilia, sparsa, glabra, margine subdentata, basi ciliata; in ramis sterilibus crebria, in caulibus pauca, alterna, stipularum ad instar ad basin ramorum sessilia, modo etiam opposita. Pedunculi solitarii, calyce triplo longiores. Calyx pilosus, 5-partitus, laciniis acutis, persistens. Corolla alba, petalis patentibus, obovatis, integris, calyce dimidio longioribus. Stamina, filamentis tenuissimis albis, corolla brevioribus: *antheræ* subrotundæ, luteæ. Capsula ovata, bilocularis, apice dehiscens, pilis brevissimis, glanduloso-pilosis tecta. Semina plurima, minuta, rufescentia.

OBSERVATIO. De novitate hujus plantæ, deficiente mihi splendido Jacquini Opere, dubius hæsitavi. Ast certior factus per litteras humanissimas sub die 16. Septembris 1809 doctissimi Viri Jo: Bapt. *Balbisii*, cui specimina aliqua exsiccata comunicavi, novam esse speciem, nondum auctoribus notam, Cel: *Decandolle* etiam adhuc invisam, hanc, non tamen absque dubio, proponere placuit. *Arenarioidem* dixi, ratione habitus ad arenarias accedentis.

# RANUNCULUS.

Lin. Gen. Pl. ed. Schreb. n. 453. - Tournef. 149. a. c.
Juss. Gen. pl. 74. - Lam. Illustr. pl. 498. -
Vent. Tabl. 3. p. 58. - Gærtn. 74.

## 16. RANUNCULUS FISTULOSUS.

R. foliis inferioribus ovatis, subcordatis; superioribus elongatis, omnibus petiolatis, petiolo basi dilatato amplexicauli; caule ramoso fistuloso. N.

*Habitat* Aquilejæ in fossis juxta viam quæ ducit ad *Belvedere*. Annus. Floret Aprili, Majo.

## Descriptio.

Planta tota glabra. Radix fibrosa, teres, demissis secundum omnem longitudinem fibris copiosis, capillaceis. Caulis ramosus, striatus, glaber, fistulosus, ad foliorum insertionem geniculatus, inferne radiculas fibrosas undique emittens. Rami alterni, summi dichotomi. Folia radicalia, et inferiora ovali-subcordata, longe petiolata, alterna; superiora ellyptico–elongata, brevius petiolata; summa opposita ad basin dichotomiæ caulis, omnia repando–dentata, petiolo in membranam latam, margine scariosam dilatato, caulem amplexante. Pedunculi ex foliorum axillis, nec non ex dichotomia caulis, solitarii, uniflori, internodia ferme æquantes, striati. Calyx pentaphyllus, foliolis ovatis, concavis, coloratiusculis, deciduis. Corolla parva, pallide flava, diametri 3''. Petala quinque, obtusa, nitida, unguibus parvis. Nectarium, fovea in singulo petalo supra unguem. Stamina, filamenta plurima, calyce vix longiora. Antheræ erectæ, oblongæ, obtusæ, didymæ. Germina numerosa, in capitulum hæmisphæricum collecta. Styli nulli. Stigmata reflexa minima. Receptaculum, semina in globulum per pedunculos minimos fere imperceptibiles adnectens. Semina plurima, irregularia, glabra, nuda, apice obtuso.

Similis valde *Ranunculo Flammulæ* Lin:, præsertim varietati a cl. *Persoonio* indicatæ sub phrasi *R. Flam. natans v.' y. foliis inferioribus ovatis integris, superioribus linearibus*; (*) at satis distinctus toto habitu; caule erecto, nec declinato; fistuloso, nec so-

---

(*) Persoon, Synopsis Plantarum Tom. 2. p. 102.

lido; pedunculisque ex dichotomia caulis superiori. Vernm *natantem* Persooni non agnoscens, de novitate meæ speciei valde dubitaveram, nam provenientem in aquis prope Montmerency indigitat cl. Vir; sed collata Encyclopediæ methodicæ descriptione, quæ illi tribuitur, certior factus sum meam plantam cum illa nullo modo conveniri posse, ideo ut absolute novam, nomine specifico a charactere caulium desumpto fistulosorum, hic proponere statui.

# CICER.

Lin. Gen. Pl. ed. Schreb. n. 1189. - Tournef. pl. 210. - Juss. Gen. p. 151. - Vent. Tabl. 2. p. 420. - Lam. Illustr. pl. 632.

17. CICER ERVOIDES.

C. pedunculis unifloris, longissimis, petiolis hexaphyllis aristatis, leguminibus pubescentibus, seminibus subcubicis. N.

*Habitat* inter difractos lapides ad arcem dirutam Montisfalconis, vulgo *la Rocca*.

Annuus. Floret Aprili, Majo.

## Descriptio.

Radix fibrosa, fibris rigidiusculis, ramosis, albis. Caulis suberectus, spithameus et ultra, quandoque vero minor, inferne ramosus, debilis, tetragonus, glaber. Folia pinnata, ex foliolis utrinque sine impari, frequentius tribus, etiam duobus. Foliola valde varia: in infimis foliis obverse cordata; in proximis magis oblonga et retusa; reliqua anguste linearia, truncata, omnia per setulam terminalem acuminata, brevissime pedicellata, et brevi instrata pube. Petioli aristati. Stipulæ minimæ, semisagittatæ, pubescentes. Flores axillares, solitarii, longissime pedun-

culati, pedunculo foliis duplo longiore. Calyx hirsutus, laciniis filiformibus, subæqualibus, corolla dimidio brevior. Vexillum planum, subrotundum, majus, lateribus inflexum, pallide cærulescens; venis viridescentibus lineatus. Alæ obtusæ, vexillo dimidio breviores, saturatiores. Carina alis brevior, acutiuscula, alba. Filamenta longitudine carinæ, assurgentia. Antheræ simplices. Germen ovatum. Stylus simplex, assurgens. Stigma obtusum, ciliatum. Legumen rhombeum, turgidum, pubescens, badium, maturitate glabrum. Semina bina subcubica, cinereo-fusca, glabra.

Observatio. Plantam hanc ab Amico dulcissimo Ab. *Berini* detectam, habuit jam cl. *Suffrenius* (*) pro *Ervo Soloniense* Linnæi, seu *Vicia Lathyroide* Willdenowii (**), ita et Cel. *Wulfenius* in litteris; sed revera quamvis habitu valde cum illo conveniat, adeo tamen diversa est, ut nullo modo confundi possit. Differt enim ramositate; foliis non cirrhosis, sed tantum aristatis; floribus longissime pedunculatis, nec subsessilibus: legumine rhombeo, nec oblongo: pubescente, nec nitido: numero seminum constanter bino, nec seno. Genere tandem satis distincta species est. *Ervoidem* dixi propter affinitatem cum *Ervo*.

## LATHYRUS.

Lin. Gen. Pl. ed. Schreb. n. 1186. - Tourn. pl. 216. et 217. - Juss. Gen. pl. 152. Lam. Illustr. pl. 632. - Vent. Tabl. 3. p. 415.

### 18. LATHYRUS PROSTRATUS.

L. pedunculis unifloris, cirrhis diphyllis simplicissimis, foliolis setaceo-linearibus, internodiis membranaceis. N.

*Habitat* in anfractibus lapidum ad montem dictum *la Gradiscata* juxta Montemfalconem.

(*) Principes de Botanique suivis d'un Catalogue des Plantes du Frioul &c. p. 167.
(**) Spec. Plant. Tom. III. P. II. p. 1106. n. 31.

Annuus. Floret Majo, quo tempore eum primus inveni anno 1805.

### Descriptio.

Planta tota glauca. Radix fibrosa, rigida, fibrillis paucis, alba. Caules prostrati, sesquipedales, subramosi, alis binis membranaceis aucti. Folia alterna, foliolis setaceo-linearibus, glabris. Petioli ancipites, breves, imi aristati, summi cirrho simplicissimo terminati. Stipulæ subulato-hastatæ, dente postico acuto. Pedunculi alares, breviter aristati, uniflori, stipulis duplo longiores. Flores intense coccinei, magni. Vexillum obcordatum, maximum, lateribus et apice reflexum. Alæ oblongæ, lunulatæ, breves, obtusæ. Carina semiorbiculata, magnitudine alarum, iisque latior, in medio introrsum dehiscens, aliquantulum pallidior. Legumen ovato-oblongum, plano-convexiusculum, leviter pubescens. Semina 2-4, globulosa. marmorata, matura atra, scabra.

Observatio. Differt a *L. angulato, cicera et sativo* caulibus prostratis, etiam sub terra repentibus, foliis lineari-setaceis, aveniis: a *sylvestri et pratensi* pedunculis unifloris, cirrhisque simplicissimis; ab *amphicarpo* stipulis sagittatis, cauleque membranaceo: a *setifolio* etiam caule membrana aucto; cæterum huic valde similis.

## BERINIA. N.

Genus novum.

*Character naturalis.*

CAL. Anthodium imbricatum, ovatum, phyllis (foliolis) interioribus (12.) æqualibus, subulatis; exterioribus 2-3, adpressis, minimis.

COR. *Composita*, imbricata, uniformis: Corollulis hermaphroditis, numerosis, æqualibus.

*Propria* monopetala, lingulata, linearis, truncata, quinquedentata.

STAM. Filamenta quinque, capillaria, brevissima. *Anthera* cylindracea, tubulosa.

PIST. Germen ovatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* duo reflexa.

PER. nullum. *Anthodium* connivens, ovatum.

SEM. solitaria, ovata, striata, glabra. *Pappus* capillaris sessilis, anthodio brevior.

REC. villosum, planum.

Pertinet ad *Syngenesiam Polygamiam aequalem* Linnæi, ad *Cichoraceas* Jussieu et Ventenat, adque *Semiflosculosas* Tournefortii.

Genus medium inter *Andryalam* et *Rothiam*; differt vero a priori anthodio ovato, phyllisque accessoriis, et pappo anthodio breviore: ab altero palearum defectu in radio thalami. Proximum ob pappum sessilem foret *Hieracio*, sed receptaculo ab eo distat villoso. Convenit quodammodo etiam cum *Crepide*; at pappo sessili, nec stipitato, statim distinguitur. Ergo erit

*Character essentialis.*

Anthodium ovatum multipartitum, æquale, phyllis accessoriis 2–3, adpressis. Receptaculum villosum, planum. Pappus simplex, sessilis. Semen striatum, glabrum.

Unicam tantum speciem novi, quæ mihi audit

19. BERINIA ANDRYALOIDES. *N.*

Andryala Chondrilloides. *Scop. Fl. Carn. ed.* 2. *Tom.* 2. *p.* 115. *n.* 985. *tab.* 52. *icon inelegans.*

Crepis foliis pinnatifidis; laciniis linearibus numerosissimis. *Jacq. Austr. Append. p.* 112. (fide Scopolii)

*Habitat* in rupium fissuris veteris Arcis *Duini*, ubi non copiosa; frequentissime vero in pratis saxosis apricis *Pocinensibus*, vulgo *di Prosecco*.

Perennis. Floret Majo, Junio.

### Descriptio.

Radix perennis, crassa, lactescens, lac dulce resecta effundens, extus fusca, intus albida. Caulis pedalis, striatus, simplex, lana plus minusve adspersus, foliosus; Folia alterna, ima glabra, petiolata, pinnatifida, ad costam usque semicylindricam in plurimas lineares planas inæquales simplices ramosasque lacinias dissecta, laciniis patulis: media similia, subsessilia, laciniis nunquam ramosis: summa bracteiformia, sessilia, simplicissima, filiformia. Ex axillis foliorum in summo caule pedunculi prodeunt lineares, alterni, nudi, simplices, quandoquidem imi ramosi, striati, lanuginosi. Anthodium ovatum phyllis interioribus 12 lanceolatis, æqualibus, lanuginosis, margine albo, membranaceo: exterioribus 2–3, linearibus, minimis subæqualibus. Corollulæ lingulalæ, citrinæ, quinquedentatæ. Semen oblongum striatum, glabrum. Pappus capillaris, sessilis. Thalamus villosus, lactescens.

Observatio. Non facile comprehendi potest, cur clarissimi Viri *Willdenowius* in sua *Linnæi Specierum Plantarum* editione, et *Persoonius* in *Synopsi Plantarum*, mentionem hujus pulcherrimæ plantæ non fecerint; nam fide *Scopolii* celeberrimi, qui quamvis iconem inelegantem, descriptionem tamen sat accuratam dedit, nec non fide *Jacquinii*, in iis operibus locum habere debuisse jure exposcendum erat. Novo huic Generi æstumatissimi amici mei Ab. *Josephi Berini*, qui in Scientia Botanica, atque in *C. Plinii* Historia naturali illustranda, italicoque reddenda sermone affabre laborans, stirpem hanc primus post Scopolium collegit, nomen imponere placuit. Ob quamdam similitudinem cum Andryala, *Andryaloidem* nuncupavi.

## CERAMIUM.

Roth. Fl. Germ. T. III. P. I. p. 368.

### 20. CERAMIUM ACICULARE.

C. cartilagineum, filis uniformibus, teretibus, dichotomis; ramis

divaricatis; ramulis acutis, subincurvis; capsulis lateralibus subsessilibus, apice paullo excavatis. *N.*

C. filis conformibus, teretibus, filiformibus, cartilagineis, dichotomis: ramis divaricatis: ramulis acutis, capsulis lateralibus, sparsis, subsessilibus, subrotundis, apice excavatis. *Roth. Catalect. Bot. III. p.* 115. *n.* 8.

Fucus (acicularis) caule tereti–filiformi cartilagineo, ipsa jam a basi diffuse ramosissimo; ramis divaricatis, vage laxeque obsitis spinis homogeneis acicularibus subincurvis. *Wulfen. Crypt. aquat. p.* 63. *n.* 50.

*Habitat* in submarinis corporibus Maris Adriatici, *Tergesti*, loco dicto *il Lazaretto vecchio*. Fructificat Majo, Junio = *Annuum*.

### Descriptio Wulfenii.

„ Substantia Fuci hujus cartilaginea. Caulis ipsa jam a basi „ quaquaversum in ramos diffunditur, simpliciter, aut et decom- „ posito–ramosos, unum, semialterumve pollicem longos, suntque „ utrique teretes, crassitudinis aciculæ tenerioris, rigidi per de- „ siccationem, læves, saturate rubri, versus extremitates e di- „ luta rubedine flavescentes, et subalbidi, contra lucem semidia- „ phani. Rami divaricati, subcurvative; spinis homogeneis, aci- „ cularibus, simplicibus, unam pluresve promiscue lineam lon- „ gis, vage, laxeque obsiti subincurvis.„

Observatio. Cl. Wulfenius capsulas non vidit nec descripsit. Cel. Rothius vero qui Ceramium hoc probabilius a Wulfenio ipso acceperat cum fructificatione observavit. Capsularum color in meis speciminibus aterrimus est, et fere niger. Apicis excavatio vix perceptibilis, reliqua ut apud auctores, excepta magnitudine, quæ 1-2-uncialis est.